



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Gualterius C. 4. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

4. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 353
liquefcere. Illustre miraculum, inquies;
mirabile tamen: potes tu quoque Bac-
chum, Venerem, aliaq[ue] improbae men-
tis idola precibus extinguiere. Ex Surio.

Quaecumque vitia habemus, quotcum-
que peccata, tot recentes habemus Deos.
Iratus sum; ira mihi Deus est. Vidi mu-
lierem & concupivi; libido mihi Deus est.
Unusquisque enim quod cupid & veneratur,
hoc illi Deus est. S. Hieron. in ps. 108.

S. GUALTERIUS C. 4. Iunii.

Dubitabit aliquis GUALTERIUM
mundi sidus dicere; cum humerum
stellâ insignitus in lucem prodierit, di-
vino munere parentibus concessus, Nu-
mini Basilicam invicem spondentibus.
Gratiarum domicilium dices, tanta e-
rat oris venustas, tanta morum elegantia.
Magnis pro eo studiis certamen est, cæ-
lo terraque tantum decus ad se rapienti-
bus. Praefecti urbis filia oculos in eum
conjecerat, optabatque sponsum, spe
tantò certiore, quantò inter Romanas
Nympha eminebat: & sanè, si quid
mortale amandum fuerat, tulisset pri-
mas. Jam parentum vota consenserant,
gratulabaturque pari, & pulcherrimo
conjugio Romæ, cum GUALTERIUS
generoso fastu conditionem aspernatus,
negavit feminam ullam toto orbe di-
gnam se marito: translatisque in cælum

Z

de-

354 VITÆ SANCTORUM. 5. Iunii.
desideriis, castarum mentium sponsum
virginitatis sibi voto devinxit. Id tamen
consilium parentes insaniam vocarunt,
& extorquere filio non verbis tantum,
sed verberibus etiam sunt conati: ut
neutris flecteretur, vox allapsa cælo fu-
gam adolescenti suasit, quam cum Ar-
meno Sacerdote in Picenum instituit;
ubi deinceps eo virtutum splendore vi-
xit, ut palam fecerit, æquum fuisse
eum stellatum nasci. Parentes diu per-
quisitum denique reperere, sed jam ine-
diâ squalidum, alioque, quem Roma
susplexerat, vultu. Ille tamen Deo ple-
nus factum iis suum non approbat tan-
tum, sed ut imitarentur, induxit; quem
finem utinam omnia parentum cum fi-
liis certamina habeant, juvaret acies
committere, & cantare classicum. Ex
Phil. Ferr.

Despiciendus à nobis hic mundus fue-
rat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus
prosperis demulceret animum. At postquam
tot flagellis premitur, tantâ adversitate
fatigatur, tot nobis quotidie dolores inge-
minat, quid nobis aliud, quam ne diliga-
tur, clamat? S. Greg. 3. Dial. c. ult.

S. BONIFACIUS E. M. 5. Iunii.

BONIFACIO, & hoc, & Apostoli
nomen Germania peperit, cum Win-
fridus olim vocaretur, Monasticen
puer